

Skinner, 1964 (hr. 1185-1223)

# EPISTOLA INVITATORIA *ad*

Observationes Magneticæ Variationis communi  
studio junctisq; laboribus instituendas.

CURIOSO

&

ERUDITO LECTORI

JOH. CHRISTOPHORUS STURMIUS, P.P.

*Observantiam & Salutem!*

Urgentium temporis progressu scientiarum exemplum inter cætera luculentissimum, adolescentes indies magis magisque Magnetismi *Deuocia* nobis exhibet. Etenim ex quo mirandilapidis ad mundi polos & axem suos accommodandi virtus, à tribus quatuorve retrò seculis, inventuit (alteram enim ejus attractivam, quam vocant, facultatem, nulli forsan ævo ignorantia, hic attingere nihil attinet) & acus verborum pyxidisq; nauticæ usus (cujus inventi honorem Italos, & Amalphitanos cuidam sive *Goya* sive *Gira*, debemus) ineffabili Rei Nauticæ compendio divulgari coepit; inventa priorum subinde suis locupletarunt observationibus posteriora tempora, cum in aquis librati magnetis verticatatem *Rogerius Bacon*, deinceps ἐπεροχαλυβοκλισι, h.e. variam ejusdem & versoriarum accum à meridiana linea, in variis terræ locis, deviationem *Sebastiánus Cabottus*, carundemq; in Azoribus Insulis *audivisse Gonzalu* Oviedus, Inclinationem deniq; tum harum tum ipsius magnitus ad vicinorem terræ polum *Robertus Normannus* &c. animadvertisse: Neq; desuisse huic nostro seculo, quo, ex more suo, ditaret & locupletaret transmisso ad se magneticæ quoq; hujus notitiae thesauros, in propatulo est.

Dudum enim ipsi suboluit, Declinationesistas, quas vocant, sive deviationes magneticæ directionis, tametsi alibi in orientem, alibi in occidentem, hic plus, ibi minus, exerrent, etiam sub uno eodemq; meridiano, non

non exerrare tamen absq; omni regula; sed, cum e. g. in Corvo, Flandrica-  
rum Insularum una, septentrionem ipsum exactè monstrat acus magneti-  
ca, inde progrediendo versus ortum, sub eodem fere tractu latitudinis,  
cjus deviationem Orientalem subinde crescere usq; ad Pleymuthensem me-  
ridianum sub longitudine 30. gr. inde paulatim iterum decrescere ad 60.  
usq; longitudinis gradum; à quo termino deinceps in occidentem defle-  
ctere occipiens, similia subeat diverticuli incrementa & decrementa; donec  
sub longitudine 120. gr. in viam quasi rediens, mox in orientem iterum  
magis magisq; evagari sustineat: Cujus rei testes, inter alios, nobis allegat  
Simon Stevinus Lib. V. de la Geographie Def. 1. Petri Plancii Observations  
bene-multas, non sine magno sumptu & labore multo collectas; quibus,  
cum Viris Doctissimis aliis, succinit Nobilissimus DN. LEIBNITZIUS, nu-  
per adeo in epistola quadam ad Amicum testatus, in manibus se habuisse  
itineraria navigationum in Indianum Orientalem, ubi in toto cursu itionis &  
, reditiois, penè quotidie aut certè sèpissime, observata erat declinatio &  
, notavisse, quod, nave parum multumve progresstā, etiam parum multum-  
, ve mutaretur declinatio &c.

A paucis autem retrò annis illud porrò animadverti cœptum est: Sicut  
 in diversis locis variat memorato ante modo magnetis deviatio; ita nec in  
uno eodemq; loco ( quod creditum haftenus fuerat ) eandem illam ma-  
nere ac perpetuam; sed subinde, nec prorsus tamen irregulariter & subsul-  
toriè, verum gradatim & sensim, ab Oriente v. g. ad lineam meridianam,  
& hinc porrò in Occidentem, evagari, inde, si conjecturis locus est, saluta-  
tis limitibus, ad eandem meridianam suo tempore paulatim iterum redi-  
turam. Sic Adrianus Auzout, testibus Ephemerid. Romanis ad annum  
1670, Romæ, aliquot lineis meridianis quam potuit fieri diligentissimè  
ductis, loco commodo eoq; diverso, circumspetis probe undiq; angulis  
omnibus, ne quid ferri aut alterius avocamenti circa marmo cui lineas in-  
duxerat inveniretur, adhibita insuper acu magneticâ, tres ulnæ Romanæ  
quartas longâ, comprehendit in omnibus istis lineis, hanc a meridiana in oc-  
cafum plusquam duobus gradibus aberrare; cum ex Observationibus olim  
ibidem habitis constaret, acum orientem versus ad octavum usq; gradum  
declinasse. Eodem anno d. 22. Jun. St. N. Celeberrimus Hevelius, qui anno  
1642 Dantisci magneticam declinationem summa industria obseruaverat,  
& una cum ipso eodem tempore, sed Regiomonti, Clarissimus Linneman-  
nus, occasum versus ad gr. 3. min. 5. utrobiq; conversari, aliter longè quam  
olim rem habere deprehendit, & declinationem, iterū quam studiofissimè  
juxta-

investigatam, ad 7. gr. 20. min. eandem plagam versus, tunc omnino versere; sic ut 28. annorum spatio ad 4. gr. 15. min. aucta fuerit. Etcum hujus ejusdem Viri ingeniosi labores anno 1635. eandem declinationem duos tantum gradus, anno 1628 unicum fere à meridiana occasum versus abesse notássent, quam seculi hujus initio tamen, vel exente priori, ad ortum, & quidem 8. gr. 30. min. extitisse *Clarissimus Crügerus* ejusdem olim Praeceptor, constanter affeaverat, ac in delineandis Sciatericis semper adhibuerat; inde, Declinationem magneticam Dantisci singulis fere septenis annis, aut accuratiù loquendo annis 6 & mensibus 7, ad integrum gradum, & sic anno uno 9 min. 6. sec. ex crescere &c. quæ Vid. Lib. I. Machin. Cœl. Cap.XVI. p.359. Quo eodem loco meminit Anglicarum quarundam Observationum Lymhousii prope Londonum, primum à *Cl. Burruſio* anno 1580, deinde à *Cl. Contero* anno 1622, deniq; à *Cl. Gillebrande* anno 1634. habitarum; quarum prima declinationem 11. gr. 16. min. secunda 5. gr. 56. min. tercia 4. gr. 3. min. 30. sec. in Orientem sc. demonstraverunt.

Atque hæ ipse Anglicanæ Observationses errorem *Ingeniosissimi Dn. Petiti* correxerunt, quo erroris ipse veteres accusaverat in observanda magnetis declinatione, cùm ipsam in tribus diversis lineis meridianis anno 1630 in diversis locis Urbis Parisiorum, non nisi 4½ gr. versus Helleponitum comperisset, antiquitus, *Orontio Fineo & Castel-Franco* testibus, 9 aut 10, aliis juxta *Sennertum & Offusium*, 11½ gr. suppudatam. Hanc igitur diversitatem cùm non ex errore quodam Veterum, ut primum putaverat, sed è reali Declinationis mutabilitate pendere, jam ceperisset credere; ut semetipsum penitus convinceret, subinde nova fecit experimenta in diversis locis, decrescere continuè declinationem observans; ita ut anno 1660 mense Junio, postquam meridianam lineam exactissimè, per varia Azimutha, ope quadrantis ærei 6 pedd. in diametro habentis ante & post meridiem capta, designasset, eidemq; notæ melioris acūs, unam 7 aliam 10 digitos longam, applicuissest, eas reperiret unum tantum gradum vel circiter, & anno 1666, 10. min. non amplius, proximeq; sequenti 1667 adhuc minus, declinare.

Eadem pene fata, quæ *Dn. Petitum* Parisiis, Norimbergæ nostræ Vrum verè-*Experiensissimum* *Joh. Georgium VOLCKAMERUM*, Med. D. & Practicum ex multo tempore felicissimum, pronuper manerunt, ut, ignarus coimmemoratarum ac similium Observationum omnium, in hanc declinationis magneticæ diversitatem incidens, erroris primum antiquorum

traditiones insimulare, deinde verò, monitus aliunde, iis præsertim quæ de *Dn. Auzouti Observatione Li Giornali Romani* legenda offerebant, institutis omni cura & industria pluribus diverso tempore experimentis<sup>1</sup>, illud variantis Declinationis Phœnomenon apprimè confirmaret. Is enim, ut alioquin est rerum pulchrarum omnium curiosus ac sciendi, provehendarumq; scientiarum, cupidissimus (quo nomine quoq; inter Naturæ Curiorum capita *Helianthi* nomen dudum obtinuit;) ita Sciatericorum designandorum exercitio jucundissimo frequentius insudantem, anxium pridem cum haberet, quid causa tandem libesset, quod, quæ tantâ curâ, secundum artis regulas, in planis præsertim immotis ac declinantibus, quâm exactissimè delineasset, solaria notabiliter à cœlo dissentirent omnia; frustra tentatis variis, ad corrigendum errorem, & præcavenda præsertim, quæ suspicabatur, magnetis avocamenta, subsidiis, ipsam tandem hujus declinationem (quam Orientalem & 8 quidem gr. hec locorum constanter esse cum artificibus hactenus crediderat) sub examen revocare constituit. Designatis ergo in loco plano fixo que circulis aliquot, & erecto ex eorum centro communī stylo, cum lineam meridianam secundum modum vulgatissimum adinvenisset, applicatae decenter magneticæ pyxidis acum, non in Orientem, sed, quod nunquam fuerat suspicatus, in occidentem notabiliter declinarem admirabundus intueretur, & rem novam ac insolitam, postquam iterum iterumq; istam pari semper successu tentasset, Amico cuidam suo *Dn. Georgio Christophoro Eimmar*, uti variarum artium, sic Astronomiæ Organicae cum primis & Gnomonices etiam peritissimo Viro, narrat, ostendit, inculcat, ac deinceps, hujus ejusdem solerti auxilio & singulari dexteritate, meridianâ linea in loco aperto magis, modis variis & vulgari isto plerisq; accurrioribus, designata, diversis annorum plurium partibus magis magisq; confirmat; Occidentalem acum Declinationem constanter ad sum usq; gradum reperiens. Et hanc quidem rem omnem, (cujus tota ratio ex adjecto Schematissimo plenius intelligi poterit) oculatorum testium plurium meoq; post coetera testimonio comprobata, cum ad *Regiam Anglorum Societatem*, ante biennium & quod excurrit, detulisse, ab Ejusdem Secretario *Dn. Roberto Hookio* d. 6 Aprilij, „St. V. 1680 hoc responsi accepi: Meam istam de acu magneticâ narrationem opportuno tempore isthuc pervenisse, eo ipso quippe, quo toti fuisse in ejus rei disquisitione, cum nuperrime fuisse illius variationis experimentum captum *Greenvici*, 4 mill. Londino remoto loco, & reperita declinatio 4 $\frac{1}{2}$  gr. à Septentrione in occasum; ex eo tempore monuisse

se se per literas complures Anglorum suorum, quibuscum literarum com-  
mercium sibi intercederet, ut familia suo quisq; loco tentaret &c.

Hæc omnia verò *Lectori Erudito*, tametsi plerorumq; ante satis gnaro  
proculdubio, in memoriam hic revocare ideo constituimus, ut nobiscum  
perpendere, annon optandum esset cum *Nobilissimo Hevelio*, ut hocce ne-  
gotiorum ubivis locorum majori quodam conamine, quam haec tenuis, à stre-  
nuis rerum naturalium Scrutatoribus suscipieretur, & communicato con-  
filio passim experimenta, secundum certas leges ex pasto quasi quodam &  
unanimi consensu receptas, instituerentur. Quod equidem consilium  
cum à *Nobilissimo VOLCKAMERO* nostro Viris quibusdam Doctissimis  
per literas expositum, eorundemq; calculo comprobatum omnino fuisset,  
consultum deniq; Viro evehendæ humanæ sapientiae & felicitatis cupidissi-  
mo visum est, ut Epistola quædam invitatoria meo nomine in publicum  
prodiret, quā Curiosi Germaniæ saltē nostræ passim, ad magneticæ de-  
clinationis Phænomena curatiūs impostерum notanda, remq; adeò totam  
junctis viribus sollicitè perficiendam, excitarentur. Cui quidem ejus tam  
justo desiderio deesse tantò minus potuimus, quo magis animus noster  
sponte suā in id studii laborisq; genus fertur, & experimentorum singulari  
voluptate dudum capit; & quo plus fructūs & utilitatis ex eo consilio  
tam Naturali Philosophia quām Reipublicæ, Nauticæque cumpri-  
mis, expectandum inde judicavimus. Primum enim, cùm *Renati Des-Cartes* (cujus Viri acumen alioquin & multa sanè in Mathesin ac Philosophiam Naturalem merita merito suspicimus) ingeniosa præ-  
sumptio multos alios èò induxerit, ut cum ipso statuerent, magneticas de-  
clinations ad solas inæqualitates terræ, quæ in ejus partibus exterioribus  
occurrant (ut alibi sc. plura ferri ramenta pluresq; magnetes repellantur  
quām in locis alius) adeoq; ad irregularē plane causam, esse referen-  
das, earundemq; variationem (quæ jam tum quorundam sagacitati sub-  
luerat) non aliunde quām ex eo pendere, quod ferrum quotidie ex unis  
terre partibus in alias tranferatur &c. illæ profectò, quas allegavimus su-  
periūs, Virorum sagacissimorum Observationes recentissimæ alia omnia  
fudere omnino videntur; quando haut obscure ostendunt, & eodem tem-  
pore per tractus terrarum bene-longos declinationis varietatem certos in-  
crementorum ac decrementorum gradus observare, & cum temporum  
decursu eandem, non irregulariter & subsultoriè, nunc in his nunc in aliis,  
ibi in ortum, alibi in occasum, hic parum isthic multum &c. sed regulari-  
ter satis, in plerisq; simul, in eandem partem, & eadem circiter incremen-

torum aut decrementorum proportione , mutari ; prout sanè ex habitis hactenus accuratiōribus Observationibus constat , in multis Europæ nostræ locis , in quibus antehac acus versoria in ortum notabiliter declinaverat , eandem ad meridianam lineam propius quotannis accessisse tandemq; superata ista eodem fere tempore in iisdem illis locis , simul ac semel , in occasum se convertisse , gradatim isthic iterum & æquabiliter fere , ac longius subinde , excurrens . Quæ res si porrò pluribus , & in quamplurimis sub quovis parallelo locis accuratè quidem institutis , experimentis confirmatur ; non solum indubia foret effectus admirandi regularitas , sed etiam illius caussam altius longè quam ex ferri mineris arcessendam esse , in protocolo , & ( quod ausi jam sunt acutissimi quidam Viri ex paucis istis ) è collectis undiq; & in ordinem tabulasq; decenter digestis Observationibus , hypothesin pro explicanda rei scitu dignissima causa formare , multò facilius futurum esset .

Deinde verò , deprehensa certius illâ regularitate variantis declinationis sub unoquoq; parallelo , longitudinum ex ipsa terra petendarum spes aliqua , Geographiæ insigni emolumento , fortassis esset affulsura ; Rei nauticæ certè in portibus ex nota latitudine & magnetis declinatione ( quam sub eadem quidem latitudine non nisi paucissima & magno intervallo , quod errare nautam prudentem non pateretur , disjuncta loca eandem habere possent ) inveniendis , ingens commodum foret expectandum ex ejusmodi portuum tabulis indies magis locupletandis , qualium in eum finem primum paratarum honorem *Plancio Stevinus* allegato suprà loco adtribuit . Confer . Kircher . Art . Magn . Lib . II . Part . VI . cap . I . Probl . 6 .

Quamobrem , cùm nulli dubitemus , exterios etiam imposterum magno numero , suo quemq; loco , vel popularium suorum superiori laudatorum exemplo excitatos , in commune collaturos esse Observationes suas in hoc genere exactissimas ; ideo Germanos etiam nostros ad institutum adeo laudabile & proficuum , eà quâ par est observantia & humanitate , invitare nunc audemus , insimulq; quibus aut conditionibus aut legibus nobis , & Amicis quibusdam Viris Prudentissimis , hoc Observationum genus institui videretur omnium commodissimè monere ; ita tamen ut aliorum quoq; monita & consilia meliora non solum accipere promptissimè , sed & sequilubentissimè certum sit .

**L.** Uno circiter eodemq; anni tempore Observationes ab universis institui , consultum foret proculdubio , 65 nomi-

nominatim proximis Äquinodio utrig. & Solstitio  
æstivo diebus; prout huic aut istis obser-vandi quisq;  
modus magis fuerit accommodus: Imo, designatæ se-  
mel exactæ meridianæ lineæ super immobili quodam  
plano, singulis postea mensibus acum versoriam ap-  
plicare &, si qua interim Declinationis varietas  
acciderit, notare haut inutile futurum esset.

- II. Quibus ad manus sunt quadrantes & Instrumenta  
grandiora in minutias graduum diuisa, cum Auzuto,  
Petito &c. per Azimutha & altitudines solares rem  
felicius confident, aut eorum modorum uno, quos  
habet Kircherus Lib. II. Art. Magn. Parte VI. cap. I.  
Aliu bis desstituti mediis, Hevelianâ methodo, quam  
Cœlest. Mach. Lib. I. cap. XVI. variam tradit, Eim-  
marti nostri Schematismo haut obscurè expressam,  
citra magnas impensas & cum fructu utentur: nemo  
autem stylorum erectorum umbris ( quæ vulgatissima  
coeteroqui ratio est ) aut similibus confidet, nisi in sub-  
sidium & coeterorum experimentorum confirmationem;  
quandoquidem in plurimum, diversâ methodo instituta-  
rum, Observationum consensu, meliores à sequioribus  
etiam aliquid roboris accipiunt.


- III. Praestaret etiam duas minimum acus in quavis Obser-  
vatione adhiberi, easq; quam optimas & nec parvulas  
nimium, quæ differentias Declinationum exacte satis in-  
dicare non valent, neq; valde grandes, quæ mole sua  
magneticam virtutem frequentius eludere experti su-  
mus, sed mediocres, agiles & vivaces; & pyxides ita  
fabrefieri, ut in fundo arcum saltem plurium graduum  
in minuta singula, aut quina saltem, transversalibus  
lineis divisorum, haberent: quales equidem ab artifici-  
bus Norimbergensibus peritissimis omni studio pretiog;  
justo ut parentur, se curaturum sedulo Laudatissimus  
Dn. VOLCKAMERUS recepit.

IV. Effe

¶: o ( : ¶)

**IV.** *Esse verò ad hoc Observationum genus ejusmodi locum eligendum, qui planus & ad libellam exæquatus nulla latentis magnetismi aut vicini ferri fallacia suspectus sit, nobis etiam non monentibus, unusquisq; facile judicabit.*

Sic igitur juncto studio & unanimi conatu si Curiosorum quisq; suo loco per universam Germaniam nostram ( quod idem exteror quoq; in suis quosq; regionibus pari consensu facturos nulli ambigimus ) magnetis declinationem quotannis aliquoties inquirere, Observations porrò suas, quo mense ac die, quoque instrumentorum apparatu factæ essent, quot item graduum ac minutorum à meridiana linea in alterutram partem secessio fuisset deprehensa &c. ad Nobilissimum Dn. VOLECKAMERUM prescribere, non gravarentur; facturi essent utiq; rem nobis oppidò gratissimam & publico bono nostrâ opinione longe utilissimam: Ita salvere iterum itemq; universos observanter & officiosè; ita valere jubemus omnes ac singulos & vivere felices quam diutissime. Altiori Noricorum Prid. Felti Paschalis cito sic LXXXII.



TG32  
5/1364  
1-5125

